B. N. C.
FIRENZE
1034
37

MISCELLANEE
R. BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE DI FIRENZE
1034
37
XXXIV
37
1034 37

XI
5

XI
5
AI

DE GLORIOSISSIMI RAIMVNDI DE PENNAFORT SAC. ORD. PRAEDICAT. LAVDIBVS.

ORATIO.

PER R.P.M. DANIELEM MALLONIVM HIERONYMIANAE CONG. SAC. Theologiæ publicum profeſſorem.

Bononiæ in celeberrimo S. Dominici Templo pro ſolemni eiuſdem Sancti RAIMVNDI *canonizatione habita.*



Bononiæ, apud Hæredes Ioannis Roſſij 1601.
Superiorum permiſſu.

BIBLIOTECA NAZIONALE
187

DE

GLORIOSISSIMI

RAIMVNDI

DE PENNAFORT

SAC. ORD. PRAEDICAT. LAVDIBVS

ORATIO

[illegible]

[illegible] CONG. SAC.

Theologiae [illegible]

[illegible]

[illegible]



Bononiae, apud Heredes Ioannis Roſſij 1601.

Superiorum permiſſu.

1034.37

PERILLVSTRIBVS,
ATQ. EXCELLENTISS.
SACRI, AC VENERANDI
IVRISTARVM COLLEGII
BONONIEN. DOCTORIBVS.

F. DANIEL MALLONIVS S.P.D.

GLORIOSISSIMVM RAIMVNDVM, *quem vos Doctores celeberrimi ſapientiæ lacte educaſtis, Doctoratus laurea coronaſtis, Doctorem publicum, atq; collegam habuiſtis, quem auctoritate veſtra Bononienſem ciuem creaſtis, quem Deus cœleſtis gloriæ ſplendoribus illuſtrauit, quem Sanctiſſimus Rom. Pont. Clemens VIII. in ſanctorum numerum retulit, eundem ego panegyrica oratione celebrandum aſſumpſi. Orationem meam, vt prælo ſubijcerem plurimi, ijdemq; grauiſſimi viri auctores extitere. Obſtiti quantum potui, quod orationem publicè*

expo-

exponere, iactantia faſtum ſapere videretur. Vicit me tandem eorum auctoritas, vicit in re honeſta petenda, petentium copia, & conſtantia; cui diutius reſiſtere parum vrbanũ; ſemper, parum humanum fuiſſet. ſcilicet, Vt ne quid nimis. Prodeat igitur tandem in lucem Oratio, & Sanctiß. RAIMVNDI *pallio tecta, & tanti veſtri Collegij ſtemmate præmunita; eumq́ vobis, & Collegio veſtro referat Protectorẽ, ſine cuius ope, nec vos Doctores eſſe, nec alios Doctores creare poteſtis. Sit egregium tanti Collegij ornamentum, quod is, quem tantopere honoraſtis, duplicatos vobis e cœlo referat honores: vt cuius Doctoris ſapientiam experti eſtis in terris, eius patrocinia ita experiamini in cœlis; vt eiuſdem conciues tandem effici valeatis.*

CLA-

CLARISSIMVM, fulgentiſsimumq́; iubar (Illuſtriſsime, ac Reuerendiſsime Prolegate, Principes incly ti, Senatores ampliſsimi, Doctores ſapientiſsimi, ac cæteri quotquot adeſtis Auditores ornatiſsimi) Clariſsimum inquam, fulgentiſsimumq́; iubar, quod in ſplendidiſsimis glorioſi RAIMVNDI natalitijs non cœlo ſolum, ſed toti terrarũ orbi, noſtræq́; potiſſimum Vrbi Bononiæ hodierna luce tanta cum maieſtate ſplendeſcit, ita mentem meam excitauit, & impulit, vt meæ quodammodo imbecillitatis oblitus in ornatiſſimo Illuſtriſſimorum Antiſtitum, Principumq́; conſeſſu, in florentiſsima ſapientiſſimorum Doctorũ corona, in confertiſſimo religioſiſſimorũ, nobiliſſimorumq́; virorũ amphitheatro, de ſacratiſs. RAIMVNDI laudibus verba facere non dubitauerim: Id enim mihi ratio ipſa ſuadere videbatur, vt dum vniuerſus Bononienſis populus glorioſiſſimũ RAIMVNDVM ciuem ſuum, quid dicam? an ex mortalibus ad ſuperos tranſlatũ, ſummo apparatu, ac pompa proſequitur; an è ſupernis beatorum ſedibus, ad nos delapſum, velut in patriam redeuntem ciuem ſuum, ingenti gaudio excipit; an ad famoſam doctrinæ cathedram reuertentem celeberrimum Doctorem, tanta cum alacritate, & excipit, & proſequitur, eundem tanquam Bononienſem ex priuilegio ci-

uem; ego Bononienſis ex priuilegio ciuis; Theologum, Theologus; religioſum, religioſus; Doctorem publicum, Doctor publicus; legum Doctorem, diuinæ legis interpres; cælicolam, ad cælicolarum ſedes anhelans, ſummis laudibus celebrandum aſſumerem. Quamuis autem me, & loci dignitas, & tot, tantorumq; aſtantium Principum, procerum, ſapientũq; amplitudo perterreat; illud tamen mentem meam ſummopere reficit, quod apud Bononienſes viros de glorioſiſſimi RAIMVNDI laudibus ſim verba facturus, qui eum, dum mortali hac aura frueretur, tanta cum vtilitate ſæpè, ſæpiuſq; audiere ſua verba publicè declamantem; quos B. RAIMVNDVS tantoperè coluit, quos vt ciuis conſilio iuuit, vt Theologus cæleſti ſapientia pauit, vt religioſus optimis moribus informauit, vt Doctor ſalutaribus legibus exornauit, ac tandem vt cœlicola nunc pio patrocinio fouet, & protegit: illud etiam mentem meam mirificè recreat, quod apud auguſtiſsimi, ac toto terrarum orbe celeberrimi Pontificiarum, Cæſarearumq; legum Collegij, eminentiſsimos Doctores eum ſummis laudibus celebrandum aſſumpſerim, qui ex ipſorum catalogo exceptus in ſanctorum catalogum conſcriptus eſt, quiquè e tanti Collegij amplitudine, ad fœliciſsimas cæli ſedes ita translatus eſt, vt tanti Collegij perpetuus Protector ſit declaratus. Quamuis autem D. RAIMVNDI laudes, veluti vaſtiſsimum quoddam pelagus, im-

menſas eſſe conſpiciam, illud tamen mirũ in modum me confirmat, quod de eo ſim verba facturus, qui vt expanſo pallio immẽſum pelagus enatauit, ita etiam me immenſum laudationum ipſius pelagus, tenui ingenij mei nauigio percurrentẽ, eiuſdem palli ſui proſequetur obiectu, vt immẽſum laudationum pelagus, breui valeam oratione percurrere.

RAIMVNDVS igitur, vt à nominis notatione exordium ducam, quaſi rex mundus, aut radius mũdus, aut mũdi rex, vel radius, Barchinone in Hiſpania, ex Illuſtriſsima Aragonum Regum proſapia claris natalibus ortus, à teneris (vt aiunt) vnguiculis, adeo probatæ indolis ſpecimen dedit, vt futuræ ſanctitatis clara præſeferret indicia; is enim lubricæ ætatis illecebras fugiens, ad litterarum ſtudia tanto ardore ſe cõtulit, vt breui condiſcipulis ſuis doctrina, atq; eruditione præcelleret. paullulum cum adoleuiſſet, clarioribus virtutibus ſemetipſo indies ſingulos ornatior, atq; in diſciplinarum exercitationibus excultior, literarijs palæſtris ſe exercere, ingenium diſputationibus excolere, diſcendi labore tenerioris ætatis vitia edomare, lucubrationibus ſe affligere, atq; toto pectore, neruiſq; omnibus in diſciplinarũ ſtudia incumbere, vt vere de ipſo Euripidianũ illud dici potuerit.

Multa fecit, tulitq; puer, ſudauit, & alſit.

Ideo breui ad eum doctrinæ gradũ aduolauit, vt Barchinone conciues ſuos, quamuis ætate longe maiores,

res publicè docuerit. Atq; adeo ſplendidioribus ſapientiæ radijs excitatus, cum iam toto terrarum orbe Bononienſium Academiarum clariſsima fama perſtreperet; cum eminentiſsimam ſapientiæ cathedram Bononiæ fixam eſſe, Bononiamq; glorioſam ſtudiorum matrem, atq; virtutum alumnam agnouiſſet, auguſtiſsimamq; eam vocem ſępè, ſępiusq; iteratam audiſſet, BONONIA DOCET, BONONIA DOCET tot, tantisq; Bononiẽſis ſapientiæ fulgoribus, ex proprijs ſedibus euocatus, Bononiam tandem ſe confert; vt (quod alijs quoq; frequenter ſolet accidere) qui alibi Doctor, Bononiæ diſcipulus eſſet. Tantum autem in eo ſapientiæ ardor potuit, vt eum ad clariſsimum ſapientiæ decus anhelantem, non dulcis amor patrię, non amicorum conſuetudo, non parentum cohortatio, non publica negotia, non priuata cõmoda, non longiſsimus terrarum tractus, non vaſtiſsima maris ſpatia retardarint. vt vel vnica hac in re antiquiſsimorum philoſophorum præclara facinora, heroico facinore ſuperarit. Illuſtre quoddam facinus videbatur, quod ſapientiæ cauſa Pithagoras Memphiticos vates, Plato Aegyptum, Architas Tarẽtinus eam Italiæ oram, quæ quondã magna Græcia dicebatur perluſtrarit, quod nouos adierit populos; quod maria tranſierit, quod longiſsimo terrarum tractu diſsitas gentes inuiſerit, quod remotiſsimas prouincias peragrarit. Accedant glorioſo RAIMVNDI facinori,

anti

antiquorum Philoſophorum præclara facinora.
Bononiam igitur delatus RAIMVNDVS, toto pectore ſe ad litterarum ſtudia contulit; ideo lectionibus, cum publicis, tum priuatis audiendis, litterarijsque exercitationibus, non ſolùm breui excellentiſsimus Doctor euaſit; ſed etiam in celeberrimo totius orbis Gymnaſio Bononienſi locum ad dicendum ornatiſſimum, ad docendum aptiſsimum eſt conſecutus, & auguſtiſsimo Iuriſtarum Collegio cooptatus; illud verò longè illuſtrius, fæliciter eſt aſſecutus; vt non ſolùm Doctor excellentiſsimus, ſed etiam doctorum Doctor extiterit; vt nullus deinceps in Pontificio Iure ſine RAIMVNDI ope Doctor eſſe poſſit; quippequi demandante Sanctiſsimo D. Gregorio, eius nominis IX. cui ipſe à conſultationibus, & confeſsionibus erat clariſsimum illud Pontificiarum legum volumen, quod DECRETALES inſcribitur, compilarit, ac veluti aureum candelabrum, quod in Eccleſia ſplendeſcit auguſtius excitarit. O præclarã hominis ſapientiam, cuius monumenta nullis interitura ſeculis, ita luceſcunt, vt toti poſteritati, non ſolùm ornamento, ſed etiam adiumẽto futura ſint ſempiterno. Verè de Pennaforte RAIMVNDVS fuit, eius n. penna adeò fortis extitit; vt monumẽta aurea, æterno tempore duratura conſcripſerit. Glorioſum RAIMVNDVM, in terris adhuc degentem, pauperũ patrem appellauit Sanctiſsimus Pontifex Greg. IX.

quod pauperum curam ſuſciperet, quod pauperibus perpetuò eſſet adiumento. At nos B. RAIMVNDVM Doctorum patrem nominemus; quippe qui Doctores omnes illuxerit, & Doctorum patrocinium ſuſceperit. Bonarum artium patrem glorioſum RAIMVNDVM nominemus, quod bonarũ artium patrocinium ſuſceperit: quod bonarũ artium penitus collapſa ſtudia excitauerit: quippe qui Arabam, Hæbraicamq; linguam, non ſolum didicerit, ſed etiam publica gymnaſia, in quibus Arabicæ, atq; Hæbraicæ linguæ ſtudia perſonarent, inſtituerit; vt hac arte Arabes, Hebreosq; ad Chriſti fidem reciperet. Cum ſanctiſſimus ille Dei Vates Daniel, doctiſsimorum virorum præconia celebraret. Fulgebunt, inquit, docti, quaſi Sol, & quaſi Stellæ in perpetuas æternitates. En præclarũ ſapientiæ ſolem RAIMVNDVM in toto orbe ſapientiæ, ac ſanctitatis radijs emicantem. Cum vero eximius ille Eccleſiaſticus Simonis Oniæ filij laudes recenſeret: Quaſi Stella, inquit, ſplendida, & matutina ſic iſte effulſit in Templo Dei. En Stellã verè ſplẽdidam, ac matutinã RAIMVNDVM, quæ cœleſti lumine decorata fulget in Templo Dei, quæ hodierna die radios ſuæ ad nos claritatis emittit. Vt enim Stellæ, quamuis cęlo fixæ hæreant, ita tamẽ ſuos ad nos demittunt radios, vt inferiorem mũdum mirificè illuſtrent, & exornent; ita & ſanctiſsimus RAIMVNDVS, quamuis in ſplendidiſſimo cęli pala-

tio

tio reſideat, ita tamẽ ſuę ad nos ſanctitatis radios emiſit, vt militantẽ Eccleſiam maximè illuſtret, & exornet. Stellæ quãuis maximę ſint, exiguæ tamen nobis videntur, quod inter ipſas, & nos vaſtiſsimus cœli tractus interpatet: ita & glorioſiſſimi RAYMVNDI maieſtas, maxima quidem eſt, nobis tamen exigua videtur, quod cum maximè diſtet à nobis tota non cõſpiciatur. Stellæ aliæ quidem matutino tempore eluceſcunt, vt Lucifer; aliæ veſpertino, vt Heſperus; aliæ præter omnem naturæ vſum, certis quibuſdam temporibus eluceſcentes vniuerſum planè orbẽ, in ſui rapiunt admirationẽ, qualis ea noua ſtella fuit, quę feliciſsimis Pij V. Pont. Max. tẽporibus in ſigno Caſsiopeiæ toto anno viſa eſt; ita & ſancti viri alij quidem matutino tempore, in principio naſcentis Eccleſiæ, alij verò veſpertino, circa mundi exitum claruerunt: alij verò præter omnẽ naturæ curſum, certis quibuſdam temporibus eluceſcunt, vt ſint nobis in ſigna, tempora, dies, & annos. An non fulgentiſsima eademq; clariſsima ſtella nobis ſuperioribus annis eluxit, cum inter ſanctos relatus Hyacintus glorioſiſsimus, Bononienſem Vrbem tanta oblectatione perfudit? En aliam fulgentiſsimã, eandemq; clariſsimam ſtellam RAYMVNDVM ſanctiſsimũ, quæ Bononienſem Eccleſiam hodierno die tanto ſplendore, tanta pompa, ac maieſtate cõdecorat. Verum hæc miſſa faciamus, ad altiora noſtra conſcendat oratio, vt ea etiam de-

 bitis

bitis laudationibus celebrentur, in quibus Christianę pietatis celſitudo conſiſtit. Sanctiſsimus n. RAIMVNDVS, ita doctrinam ſuam cum pietate coniunxit; vt exemplo ſuo quam plurimos ad pietatis decus attraheret. Quæ res Berengarium Barchinonenſem Epiſcopũ impulit, vt nullum non moueret lapidem, vt RAIMVNDVM ex Vrbe Bononia euocaret; quod diuina ſic diſponente prouidentia, feliciter obtinuit. Relicta igitur Vrbe Bononia, in Barchinonenſi Eccleſia Canonicus; Præpoſitusq; creatur: quo in munere incredibile dictu eſt, quanta aſſiduitate, ac vigilantia, Chriſtianæ pietatis officia coleret: eam enim viuendi rationem inſtituit; vt morũ grauitate, agendorum prudentia, & virtutum ſplendore omnium in ſe oculos raperet, omnesq; in ſui cogeret admirationem. Egregium verò hoc facinus, nulla vnquã delebit obliuio; quod cum ea tempeſtate in Barchinonenſi Eccleſia Beatiſſimæ Virginis Annunciationis feſtum non celebraretur, Sanctus RAIMVNDVS (qua eius in Beatiſſimam Virginem obſeruantia, ac pietas fuit) Berengario Barchinonenſi Epiſcopo ſuadet, vt tanti myſterij dies feſtus publicè coleretur; vt verò maiore cum ſolemnitate celebraretur, ære proprio canonicis ſuis diſtributiones aſſignat, vt qui de vniuerſis hominibus optimè meritus eſſet, de Deipara etiam Virgine, quantum mortalibus fas eſt, optimè mereretur. Atque adeo cum ardentiores ſibi ad Chri-

ſtianæ pietatis culmen aſſequendum igniculos, quotidie à Deo ſuppeditari intelligeret, ardentioręq; in dies ſingulos religioſæ vitæ deſiderio conflagraret, Dominicanæ verò Religionis viros in tanta vitæ ſanctitate, vt toti Chriſtianæ reipub. maximę eſſent admirationi, velut Angelos in terris cœleſtẽ vitam agentes contemplaretur: eam ſibi viuendi rationem ineundam proponit. Igitur quinto ſupra quadrageſimum vitæ ſuæ annum, hęroica quadam magnanimitate, bonis omnibus cedit, ac nudus nudum IESVM imitari geſtiẽs Dominicanam Religionem antiquitate celebrem; religioſæ vitæ obſeruantia admirabilem, ſanctitatis radijs auguſtius emicantem ingreditur, ne tantæ Religionis amplitudini, tantum deeſſet ornamentum. O magnificentiſsimam, ac nunquam ſatis pro dignitate commendatam Prædicatorum familia, quæ homines ad labores, & ærumnas natos, e tartareis laqueis ereptos tanta fęlicitate ad ſupernas ſedes euehis, & extollis: cuius admirabilem excellentiam inſigni illo emblemate deſcripſiſſe mihi videtur Ezechiel dicens, Aquila grandis, magnarum alarum, plena plumis, & varietate venit ad libanum, tulit inde medullam cedri, firmauit radicem ſuam ſuper aquas multas, & creuit in vineam latiorem. Prædicatorum .n. familia, Aquila grandis eſt, quę ſupernis irradiata fulgoribus quantum mortalibus in hac vita fas eſt in candentiſſimos diuinitatis radios, certós figit obtutus, quę filios ſuos critico vngue ſuſpenſos ſo-

lis radijs illuſtrãdos exponit, dicens. SIC CREDE. Plena plumis contemplationis, & varietate virtutum venit ad libanum, vnde fluunt cœleſtes aquę cum impetu; vt fluminis impetus lætificet ciuitatem Dei. Tulit medullam cedri, quę optimam partem cum MARIA elegit. Firmauit radicem ſuam ſuper aquas multas, ſcripturarum, cęleſtiumq; virtutum, ideo creuit in vineam latiſſimam, quæ pertingit à mari vſq; ad mare, & à flumine vſq; ad terminos orbis terrarum. O ſpecioſam Dominicanæ familiæ vitem, quę ab ortus ſui primordijs ad hæc vſq; tempora, quot ſanctos viros protulit, quaſi tot palmites miſit. O illuſtres palmites, quos cœleſtis plantat, & purgat agricola. An nõ illuſtris palmes fuit Albertus Ratiſponenſis Epiſcopus, cui excellens ſapientiæ decus, magni cognomen dedit? An non illuſtris palmes glorioſus Thomas Aquinas, Theologorum omnium facilè princeps, Doctor Eccleſiæ, cuius doctrina à Summis Pontificibus probata vniuerſam illuſtrat Eccleſiam? An non illuſtris palmes Petrus ſingulari Dei priuilegio martyr? An non illuſtres palmites fuerũt Antoninus Archiepiſcopus Florẽtinus, Ambroſius Senenſis, Cõſaluus Amãrãta, Vincẽtius Valẽtinus, quorũ vitæ ſanctitas pluribus teſtata miraculis Eccleſiã mirificè iuuat, & exornat. Nam quid ego de ampliſsimis huius vitis palmitibus Innoc V. Benedicto XI. Pio V. quos vitæ probitas, admirabilis prudentia, & excellens ſapientiæ fulgor, ad apicem Sũmi Pontificatus euexit? quorum

rum præclara facinora, poſteritatis conſeruabit memoria ſempiterna. vt interim infinitam propemodū phalangem Illuſtriſsimorum Cardinalium, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Primatum, qui ex eadem vite pullularunt, omittam; quos tamen ſilentio inuoluere temporis cogit anguſtia. Cogor enim cum de Prædicatoriæ familiæ laudibus agitur illud Poetæ dictum vſurpare.

Inopem me copia fecit.

Ac nequis tantæ vitis fælicitati nouella germina, nouosq; palmites deeſſe putet. En tenerrimos ſurculos, Beatiſsimum Ludouicum Bertrandum, & vitæ ſanctitate, & ſpiritu prophetiæ præditum, qui anno 1581. Valentiæ multis miraculis in vita pariter, & in morte clarus occubuit. Beatum Vincentium Toninam, qui eodé anno in Trinacriæ prouincia miraculis clarus illuxit. B. Paulū Hiſpalenſem in Betica prouincia, qui anno ſuperiore 1598. ſanctitate, ac miraculis inſignis ceſsit e vita, quorum reliquiæ magna populorum veneratione coluntur; adeo vt eorum canonizationes propediem, à Romano Pont. expectentur. Feraciſsimam vitem, quæ cæleſti rore perfuſa, vt noua ſemper germina profert, ita in dies ſingulos maiora ſuſcipit incrementa. Admirabilem Alberti Magni eruditionem conſidero, & obſtupeſco. Thomæ Aquinatis ſapientiam contemplor; & in eius ſapientiæ claritate deficio, in quo cæleſtis ſapientiæ theſauri conduntur. Cæleſtes glorioſi Hyacinti virtutes in-

tueor, & in eius excellentiæ claritate deficio. Glorioſiſsimi RAIMVNDI egregia facta contemplor, ac quaſi e ſenſibus euocatus, & admiror, & obſtupeſco, & hæreo, & deficio: in quo nihil non illuſtre, nihil non ſublime, nihil non heroicum, nihil non cæleſte deprehendo. RAIMVNDVM intueor, & cæli clauem intueor, qua facultate à Summo Rom. Pont. accepta, cælum verbo claudit, aperit. RAIMVNDVM intueor, & admirabilem humilitatem intueor; quippe qui Prædicatorũ familię Magiſter Generalis creatus, ſponte tanto cedit officio. Tarraconenſem verò Epiſcopatum à Gregorio IX. delatum, conſtanter recuſat; cum verò obedientię vinculo Epiſcopale onus ſubire cogitur, tanto dolore afficitur; vt in ardentiſſimã febrim lapſus, mori malit, quam Angelicis humeris formidabile onus ſubire. Moriq; cum morbi vis coegiſſet, niſi hoc præſentiens Rom. Pont. præceptum impoſitum, reuocaſſet. O beatum virum, cui oblati honorum gradus mortis anguſtias, ſublati vitam ſuauiſsimam reddunt. Glorioſiſsimũ RAIMVNDVM intueor, & cæleſtem eius ſanctitatem admiror, potentiam ſuſpicio, cuius potentiæ cuncta obedire videantur, cuius precibus quadraginta homines ad vitam ſunt reuocati, cuius inuocatio lãguores ſanat, cæcis viſum, claudis greſſum, mutis loquendi vſum, ægris ſanitatem, mortuis vitam præſtat, cuius imperio maris vnda ſubſternitur. Xerſis potentiſſimi quondam Perſarum Regis, faſtum cæca olim ſic exampli-

fica-

ficauit antiquitas, vt eum maria araſſe, terraſq; nauigaſſe confinxerit, at RAIMVNDVS terras quidē non e- uigauit, maria non arauit; at ſolo Crucis Chriſti ſigno fretus tenui pallio, veluti cimba ſuſtentatus, vaſtiſsimi maris centū ſexaginta milliarium tractum, ſex horarum ſpatio tranſuolauit. RAIMVNDVM intueor, & alterū Eliam pallio ſuo vndas ſubigētem videor intueri. Sed ecce pluſquam Elias hic. Elias.n. pallio ſuo Iordanis aquas percutit, & diuidit, vt Iordanis flumen ſicco veſtigio tranſeat. At RAIMVNDVS non Iordanis, ſed maris vndas, expanſo pallio, ac velificatione facta, mirabiliter enauigat. RAIMVNDVM intueor, & alterum Eliſeum mihi videor intueri. Sed ecce pluſquam Eliſeus hic. Eliſeus .n. pallio ab Elia accepto, Iordanis flumē exciſſum, ſicco veſtigio percurrit. At RAIMVNDVS proprio pallio maris vndas ſicco veſtigio tranſuolat. RAIMVNDVM intueor, & alterum Petrum, pedibus vndas maris percurrentem, mihi videor intueri. Sed ecce hac in re pluſquā Petrus hic. Petrus n. Dño etiam præſente timet, & mergi cœpit, at RAIMVNDVS Dño quāuis ſecundū carnē abſente, non timet, ſed ſigno Crucis tutiſſimus, maris vndas fœliciter enauigat. RAIMVNDVM intueor, & viuū Chriſti exemplar videor intueri: cum glorioſiſsimus RAIMVNDVS non ſolū pedibus maris vndas obambulat, ſed etiam ad confratres ſuos, ianuis clauſis introgreditur. Quis hæc conſiderans non admiretur? non obſtupeſcat? Ego verò in tanta totius Bononiēſis

Ciui-

Ciuitatis exultatione, ad auguſtiſſimi, ac toto terrarũ orbe celeberrimi Iuriſtarum Collegij ſapientiſſimos Doctores orationẽ meam ita conuerto; vt illis ſummoperè gratuler, quod tãti Collegij amplitudini, tãta ſit facta honoris acceſſio. Celeberrimũ quidem Collegium, atq; omni laude maius reddidiſſe videbãtur antiquitus, Irnerius, Hugolinus, Bulgarus glorioſi RAIMVNDI præceptores, & poſt ipſos Odofredus, Accurſius, Azon, Ancharanus, Barbatius, Ruinus, atq; Alexãder, qui per antonomaſiam Pater veritatis fuit appellatus; alijq; ſexcẽti viri, toto terrarũ orbe clariſſimi, q̃ ex eodẽ Collegio, veluti ex equo (vt aiũt) Troiano prodiere: atq; inter p̃cipua noſtræ ætatis lumina Greg. XIII. Innoc. IX. Pontt. Opt. Max quorum præclara facinora nulla vmquam delebit obliuio. At longè illuſtriorem, longeq; clariorem honoris gradũ tanti Collegij ſplendori glorioſus RAIMVNDVS adiecit. In Pontificia quidem Sede clariſsima noſtræ ætatis lumina Greg. XIII. Innoc. IX. inthronizati fuere, qui inclytæ huius Vrbis, ſecundæ Romę decus, Patres patriæ, & ampliſsimi, quo ád vixerunt Protectores extitere. At verò glorioſus RAIMVNDVS, non in Põtificia, non in Apoſtolica Sede duobus tantùm menſibus, aut annis ſolùm tredecim regnaturus; ſed in cęleſti æterni Patris ſede p̃petuò regnaturus, ita inthronizatus eſt; vt Bononienſis patriæ Pater, ciuiũ decus, & tanti Iuriſtarũ Collegij ſempiternus Protector ſit declaratus. Vos igitur Doctores celeberrimi, conci-
uem

uem veſtrũ agnoſcite, & condoctorem, & collegã veſtrũ, e Collegij veſtri amplitudine in beatorũ Collegium translatũ, ita vobis eligite Protectorẽ, vt illũ ad cęleſtes Sedes translatũ, pijs precibus proſequamini.

Tu verò glorioſiſsime RAIMVNDE, qui optata tandem cęli fœlicitate perfrueris, vota noſtra, quæ in ſolemni hac tua, noſtraq; celebritate ouantes offerimus propitius reſpice. Bononienſes ciues, quos dũ hac aura fruereris vnicè dilexiſti, qui te ſapientiæ lacte educatum, laurea Magiſtratus corona condecorarunt, qui ſuo te Collegio aggregarunt, ita in tuam fidem, protectionemq; excipe; vt qui ſuũ te ciuem cõſcripſerunt in terris, eos tibi cõciues conſcribi facias in cælis; & qui ſuo te Collegio aggregarunt, eos tuo facias collegio ſociari. Tu, qui immenſum pelagus mirabiliter enataſti, id age precibus tuis; vt procelloſum huius vitæ pelagus ita enauigare poſsimus; vt lethalis criminis ſcopulos euitantes, æternæ ſalutis portum fœliciter attingamus. Tu, qui pauperum Pater adhùc viuens es proclamatus, Bononienſium pauperum curam, patrociniumq; ſuſcipias; vt cæcis viſus; ſurdis auditus; mutis loquendi vſus; claudis ambulandi facultas; ægris ſanitas; mortuis tandem vita reddatur ſempiterna. Amen.

99 956667

Z
1034 37

1034.37

Angelo Pandimiglio
restauratore
825650 * 8274800